



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Inivste, Deo
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1650

§. 5. Christi summa humilitas ex summa exinanitione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)

maius quoddam lumen à Deo acceperunt, & Virgo Dei parens sapientiâ diuinâ maxime excelluit; ipse autem Dei Filius increata cognitione, scientia infusa & acquisita, sapientiâq; ceteros mortales, immò & Angelos omnes, sine comparatione antecessit, tantò perspicaciùs intellexit, animâ suam, & corpus suum illico in nihilum reditura, si Deus vellet, cuius beneficio tot donis gratijsq; decorabantur. Tantò igitur magis se se prostravit, ante diuinam Maiestatem. Quod & alij facerent impensius, si nihilum suum sapius diligentiusq; ante mentis oculos collocarent; & non cum pauone oculatas potiùs coloratasque sirmatis pennas, quàm pedes intuerentur.

§. V.

Christi summa humilitas ex summa exinanitione.

Sufficeret hæc caussa, ad iudicij veritatem, qua Redemptor noster sese verè *humilē* Matth. 11^a corde potuit pronuntiare. Sed & alia suppe- 29' tunt. 1. Nemo; nisi *humilis corde*, de folio regio sponte descendit. Diocletianus imperium deposuit, sed non nisi agnita rerum vanitate, & fastidijs fatigatus, quod & Maximiniano quoq; collegæ, sed perquam in-

Philip, 2.
6.

uito persuasit, vt suprà tradidimus. Nullus tamen Regum aut Imperatorum seruilium habitum induit, vt seruum suum posset ad thronum regium extollere. Atqui Christus, *cùm in forma Dei esset*, nullo utiq; regnandi tædio affectus, *exinaniuit semetipsum formam serui accipiens*, quando seipsum vsque ad naturæ humanæ vilitatem infirmitatemq; demisit; vt seruos suos ad regnum eueheret. Discite hoc à Christo diuites, discite pauperes: diuites, qui nullam pati, nullam audire potestis humiliationem; pauperes, qui & ipsi sorte vestra non contenti, in contumelia purpuram cogitatis. Discite vos, Satrapæ, è summo demittere, & posita maiestate, officia etiam minùs splendida suscipere, tractareq; negotia vobis subiectorum. Discite descendere, qui nullum supra vos vultis pati.

§. VI.

Christi maxima humilitas, ex habitatione, operatione, & vestitu agnoscenda.

2. Nemo, nisi *humilis corde*, si sit felix, amat ærumnas; nemo quieti præfert laborem; nemo delicijs dolorem; diuitijs paupertatem; nemo palatijs mapalia; titulis grandibus ignobilitatem; honoribus despectum